

**Programma in funere Viri ... Dn. Stephani Henrici Becken, Reip. Gartzensis quondam Consulis opt. meriti, a. d. IIX. Kalend. Mart. Anno cl Ilc. nati, prid. Non. Xbr. Anno cl Ic LXXI. pio ritu sepeliendi, Propositum publice, Studiosam Gymnasii Carolini Iuventutem ad exsequias invitans : [P. P. Stetini, die S. Thomae Apostoli Anno cl Ic LXX.]**

Stetini: Starck, 1671


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746839278>


Druck Freier  Zugang




Ammon, A. G.,  
in **S. H. Beck.**

Stettin. 1670.







PROGRAMMA

in funere,

*Viri Nobilis, Amplissimi ac Prudentissimi,*

**DN. STEPHANI  
HENRICI BECKEN,  
Reip. Gartzensis quondam CON-  
SULIS opt. meriti,**

*a. d. iix. Kalend. Mart. Anno clō lōlc. nati,*

*prid. Non. Xbr. Anno clō lōc lxx. beatè mortui,*

*a. d. xii. Kalend. Januarii clō lōc lxxi,*

*pio ritu sepeliendi,*


Propositum publicè,

*Studiosam*

**Gymnasii Carolini**

Juventutem,

ad exsequias invitans.



STETINI,

Characteribus DANIELIS STARCKII,

Reg. Gymn. CAROLINI Typogr.

Andreas Gothofred. Ammon,  
SS. Theol. Licentiatus, Gymnasii Carolini Prof.  
& Rector

L. B. S.



Vi pridie Nonas beatum vivendi finem fecit, Vir Nobilis & Amplissimus, DN. STEPHANUS HENRICUS BECKE, Reip. quondam Gartzensis Consul prudentissimus, optimeq; meritis, ei parant exsequias laudabili pietate ducti moestissima Vidua, & qui sunt praeterea propinqui superstites. Invitatus est & Noster ordo ad tribuendos beate mortuo honores supremos, cum augenda celebritate funeris, tum statuendo monumento literario, quale pure eleganterque acta Viri vita merebatur. Ad utrumque praestandum officium pietatis ac humanitatis lege nos teneri obstrictos putavimus. Quantum quidem intersit publice, prodi literis ac pluribus testatum fieri, ut fabulam aetatis exegerint viri prudentes, bonique cives; id cum per se attentis rerum aestimatoribus perspicitur, tum Sapientum monumenta legentibus tanto facilius constat. Qui ex his Vitas excellentium virorum prudenter ac diserte scripserunt, non illorum tantum ab oblivione vindicandae memoriae, tribuendoque justo virtutibus praemio, sed posteritati potissimum, exemplis, quibus plures ferè, quam praecipis moveri solent, ad virtutum studia excitandae servisse videntur. Causa nihil dico, quin, uti fit, leges aliquando historiae negligentur, amori multis plusculum, quam veritati largientibus; qui sicuti falsa narrantes pro veris, suo sibi merito fidem derogant, ita verae aliorum laudes, tributa bene meritis, nec suspectae aequis rerum arbitris, nec ingratae esse debebant;

bebant ; præsertim si ex oratione disertæ Scriptoris appareat, explorata, nec dubia dici, nec ignorari fontes rerum, & veram deniq; methodum adhiberi. Dum igitur prudentem deqve patria & amicis benè meritum Senem nobis ereptum lugemus hodiè, vident attentè ac rerum intelligentes, quibus exiguo tempore bonis ac prudentibus Viris avocatis, quàm in paucis reliqua sit spes, quàm in paucioribus facultas, quàm in multis cupiditas & audacia, dolentqve Reip. rectè consulentium virorum orbitatem. Illi quidem ex his turbis erepti felices sunt, ac gratulationem potius, quàm lugubre carmen expectant. Sed quæ constituenda erat ac regenda Seniorum prudentiâ juvenum temeritas & inscitia, magno Reip. malo crescit indies, illis è medio sublatis. Consilium enim est & ratio in senibus juvenum mores dedoctis ; qui si nulli fuissent, nullæ omnino civitates vel constitutæ, vel diu conservatæ fuissent. Noster ille, cum ipso eo die nuper ex hac vita migraret, quo de signis diei novissimi, adventuqve justissimi Judicis sacra haberetur concio, *susplicere* ex mandato Servatoris visus est, & *attollere caput suum, cujus videlicet redemptio appropinquaret.* Nunc, quando conduntur ejus exuviæ die, qui *S. Thome* Apostolo sacer est, vocem hujus plenam amoris ac fidei videtur usurpare : *Eamus & nos, quò moriamur cum eo.* Vixerat annos propemodum duos & septuaginta, quos interveniendo aliis publicè privatimqve honestè exegerat. Quod verò alias semper, id sub finem vitæ tantò acrius præse tulit desiderium æternitatis, eorum verò, quæ mundus ostentat, fastidium. Cum enim valetudo, quæ firma ei divino beneficio obtigerat, ineunte senio debilitari videretur affectu quodam asthmatico, per intervalla ac vices eum affligente, usus est quidem remediis de consilio peritissimorum Medicorum adhibitis. Sed quùm ex debilitate viscerum & caloris nativi accederet humor hydropicus in partibus corporis inferioribus, ac tussis præterea ; sensimqve invalescente morbo vires

cæpis-



coepissent deficere, & de fine vitae imminente cogitavit unicè,  
dispositisque rebus omnibus ad beatam migrationem sese præ-  
paravit. Bimestri ergo spatio bis, quod nec antea neglexerat  
unquam, augustissimo corporis ac sanguinis divini pabulo re-  
fectus est, nullo non tempore precibus ad Deum fufis, & col-  
loquiis ex ejusdem verbo institutis mirificè delectatus. Hunc  
enim thesaurum menti comparaverat valens, qui foret usui  
cum diuturno morbo conflictanti. Diebus interim ac nocti-  
bus omnibus, quas plurimas infomnes duxit, inter exquisitos  
dolores patienter expectavit Redemptorem suum, quem pre-  
cibus etiam Ecclesiæ publicis hoc nomine rogari voluit. Eidem  
igitur quasi obviæ itura Judici beata anima, exultans, cantu  
mortem invitabat, aut de instante potiùs liberatione ex mor-  
tali hac vita, & aternæ initio sibi gratulabatur. Cùm igitur  
valedixisset amicis, fideliter ac prudenter, quantum quidem  
per imbecillitatem licebat, cum iis collocutus, sub eorundem  
precibus animam placidè exspiravit, finemque fecit vitæ ho-  
nestè tot annis actæ. Annus erat à Nato Christo cło 1010.  
cùm nasceretur in Incl. Pomeraniæ Ducum arce Julinensi, Pa-  
tre Nobili, Amplissimoque Viro, Dno. *Gallo, D. Galli & Bar-  
bara Hofmannia filio Becken*, Duc. Pomer. Praefecto in *Maritimo  
fließ*: Matre Nobili Matrona *Benigna*, Dni. *Levini Winsii*, Se-  
natoris Reipubl. Berolinensis & *Magdalena, Valentini & Anna  
Schlurcufia* filia, *Döringia*. Avus paternus, admodum Reve-  
rendus & Magnificus Vir, Dn. *Gallus Beck*, U. J. D. Episcopatus  
Merseburgensis Cancellarius fuerat, post Consiliarius aulicus  
Duc. Pomer. Ecclesiæ ad D. Mariæ Capitularis & Consist. Ec-  
cles. Director, natus idem spectatissimo Cive & Mercatore,  
integerrimo, *Gallo Becken*, & Matrona honestissima, *Ursula  
Lindholtzia*. His ille parentibus ac Majoribus editus cùm  
sanctissimo lavacro renatus ipsius DEI Opt. Max. filius Christi  
beneficio adoptatus esset, educari coepit ac formari talibus  
studiis, quorum prima ætas capax est. Præmatura autem  
morte

morte Matris, quæ huic eripiebatur vix undecim annos nato, & variis Parentis occupationibus atqve itineribus factum est, ut, licet ingenio non mediocri esset præditus, opera quæ aliquod pretium in optimarum artium studiis videretur facturus, iisdem tamen nuncium remittere cogeretur. Misus igitur anno seculi XIV. Berolinum, ad Incl. Electoris Brandenb. D. *Joann. Sigismundi* Quæstorem aulicum, *Joannem Wernicken*, Calligraphiæ & Arithmetici studio sese totum dedit, cumq; illo commoratus in annum usq; tertium, Spectatissimi Viri, *Alexandri Becken*, agnati sui commendatione, innotuit Illustri, Generosissimoq; Domino, *Adamo Garsen*, L. Baroni de Pudlitz, Domino in *Wulffshogen & Wittenberge* / Electoratus Brandenburgici Marschallo hæreditario ac Pro-Principi, cui in demando Secretarii munere fidem atq; industriam suam comprobavit. Quum igitur anno hujus seculi XIX. Romanorum Imperatore *MATTHIA* defuncto laudatis. Elect. Brandenburg. D. *Joann. Sigism.* atq; hoc fati functo Sermi filii D. *Georgii Wilbelmi* nomine Baro idem *Pudlicius* Legatus ad Comitiam Imperii mitteretur, Noster ei comes datus, vidit solennem istum Coronationis ritum, quo *Ferdinandus II.* Romanorum Imperator Francofurti ad Mœnum est renunciatus. Confecto itinere præfici se à Domino suo prædio ac ditioni Wulffshogeni passus est, hac conditione, ut scriba, cujus ipse ministerio posset uti, alius aleretur, omnesq; subditi absente Barone ipsius autoritati parerent. Primam adolescentibus commendationem ad gloriam hinc proficisci, si ad claros ac sapientes viros, benè consulentes Reip. se conferant, quorum à latere, quoad possint, ac sibi liceat, nunquam recedant, eade re inter sapientes ferè convenit. Quibus cum enim quisq; frequens est, opinionem affert aliis, eorum se fore similem, quorum ad consuetudinem ineunte ætate se applicarit. Vel hac ratione in optimam partem facile Noster est cognitus, quod carus Domino suo, principi Viro fuit, spectataque fidei nomine

nomine usq; ad finem vitæ illius habitus est liberaliter. Vo-  
luerat Baro, atqve illam voluntatem suam Testamento infe-  
ri curaverat, quando liberis deficientibus hæreditas ad Agna-  
tos perventura esset, Noster ille eodem porrò munere fun-  
geretur. Quod cum inciderent ab ejus morte nonnulla, quib-  
us moveretur, missionem petiit, eaqve tandem anno seculi  
xxii. impetrata Gartzium, propinquum Pomeraniæ ad Viadrum  
oppidum se contulit. Hic se juveni dotibus animi corporis-  
qve conspicuo, rebusqve agendis non inepto novus aperuit  
campus merendi de pluribus, quò ut commodius uteretur,  
domum sibi aut familiam constituendam, sive, ut Poëtæ ver-  
bis utar, *ὄμιον μὲν πρῶτισα, γυναῖκα δὲ, βῆν δ' ἀγγίνα* comparan-  
dum censuit. Duxit in matrimonium Spectatissimi quondam  
Viri *D. Christophori Behrii*, Consulis ejusdem Reip. filiam *An-  
nam*, virginem tum lectissimam, nunc post amicissimam an-  
norum propemodum XLVII. conjunctionem viduam moestis-  
simam. Anno enim seculi xxiv. mense Februario nuptias  
honesto ritu Garcii celebraverant. Parens igitur divino be-  
neficio factus est liberorum quatuor, quorum unus erat filius  
*Joannes Christophorus*, cujus excellens ingenium & indoles  
eximia polliceri magna videbatur. Eos enim jam decimo  
quarto ætatis anno progressus in studiis optimarum artium  
fecerat, ut eorum non sine fructu continuandorum gratia in  
Academiam Rostochiensem mitteretur. Sed præmatura mor-  
te, uti sunt plerumqve fallaces hominum spes & cogitationes  
inanes, suis ereptus acerbissimum iis luctum atqve mœrorem  
attulit. Filias suscepit tres, quarum una quidem *Eleonora* in-  
fans obiit: Superstes, Matriona lectissima, *Anna Sophia*, Viro  
Amplissimo, Prudentissimoqve, Dno. *Bartholdo Schmidio*, Reip.  
Garzensis hodiè Consuli nupta mortem Parentis piè luget:  
*Elisabetha Benigna*, Amplissimi quondam Viri, Dni. *Caroli Jo-  
ne Thunii*, præfecti Wildenbrocensis, & post Reip. Garzensis  
Camerarii Conjux è partu filii superstitis, avumqve hodiè lu-  
gentis,

gentis, beatè obiit; quo casu affecti sunt Parentes eò gravius, quò gratiora lectissimæ illis filia obsequia fuerunt. Inter cætera verò virtuti ac industriæ beati Vini divinitus statuta præmia honores fuere non pœnitendi, veluti, quod anno seculi xxv. Senator Reip. quam toties diximus, Garcensis lectus est: quò accessit anno post Ædilitas seu dignitas Camerarii; anno deniqve xxxi. Consulatus. Quando autem difficillimis potissimum Reip. temporibus cerni solet virtus fidesqve civium, in quæ beatus tempora inciderit, nemo est in his oris adeo hospes, qui nesciat. Cùm enim diuturni ac difficilis belli sedes hæ ad Viadrum oræ essent, oppidum oportuno ad ripam loco situm, irruentibus hostium copiis aliquoties in cineres redactum, hujus est solitudine curaqve restauratum. Templum inprimis ac Ministrorum Ecclesiæ domos, Curiam & desolatos civitatis pagos sua ille industria refici ex ruderibus curavit. Sic fidelibus ac providis hujus viri curis ac laboribus & ager colonis habitari cœpit denuò, & eluctari civitas ex gravi onere æris alieni, quod illis temporibus contraxerat. Præter enim cæteras muneris publici partes, literæ atq; tabulæ publicæ restantur, eum Secretarii quoq; officio functum, cùm nihil inde vel caperet præmii, vel etiam cuperet. Atq; his quidem in rebus, benefaciendo, inquam, & benè de pluribus merendi voluntate potiozem felicitatis partem, quàm in externis illis bonis consistere, nisi certò statuisset, minus æqvo tulisset animo, quæ toties adversa inciderunt. Cùm suo unumquodque didicisset æstimare pretio, & in his, quæ vulgus tantùm non, unica audet bona dicere, divitias, sanitatem, amicos, liberos; æquam ille mentem, & cùm suppeterent, & vicissim, cùm eriperentur aliquo casu, servare potuit facilius. Amare divitias angusti animi atqve parvi, easdem verò, si non habeas, contemnere, si habeas, ad beneficentiam liberalitatemqve convertere, excelsi atqve magni semper animi est à sapientibus habitum. Hunc igitur ostendit ille, quoties ope, con-


filio,


filio, rejuvit plurimos, & præcipuè ad ea, quæ cultui divini  
Numinis serviunt, non Garcii tantum, sed in pagis quoque  
vicinis & alibi liberaliter de suo sumtu contulit. Nota est  
pluribus animi constantia, quam præ se tulit, cum direptis ac  
ter absuntis incendio ædibus fugere cogeretur, exulans pri-  
mum in Borussia Gedani, post irruptione à Polonis factâ, hic  
Stetini ad finem usque vitæ commoratus. Bonorum amicitiam,  
cui vix anteposuerint quicquæ Sapientes, unica virtute excepta,  
conciliaverat sibi legitimis rationibus, effeceratque modestiæ &  
humanitatis studio, ut diligeretur à summis, coleretur ab æqua-  
libus, observaretur ab omnibus. Nec tamen effugere adeo po-  
tuerat facerrimum illud genus hominum, cui expeditum habe-  
tur, per amici nomen fallere, quin frequentanda sibi cum parvo  
bonorum grege putaret ista sancti Poëtæ: *Mille me molestis factio  
presit malorum, prima ab usque origine factio presit malorum mille  
me molestis, nec tamen subvertere unquam quivit ullis machinis.*  
Quæ verò integritate valetudinis toto penè vitæ tempore fuerat  
præditus, eam sanè divinum, pro eo ac debuit, beneficiû agno-  
vit, de senectute quoque commoda sibi gratulatus; idem tamen,  
cum isti, quos ante diximus, morbi ingravescerent, divinæ se-  
totum voluntati, suaque omnia promptus resignavit, æterna ca-  
ducis, fucata hæc veris bonis cupidè prudenterque commutans.  
Quæ de felicitate quemadmodum piæ menti merito gratulamur,  
sic bonis omnibus, serio nec dicis gratia hæc terrena fastidien-  
tibus eandem precamur ex animo, quo DEUS ordine jusserit,  
eadem potituris. Studiosam verò Juventutem, quæ dato signo  
decore nobiscum ibit exsequias, hortamur etiam atque etiam,  
ut vanitatis tandem valere iussu studio singuli discant sapere,  
hoc est, ut antiquissimus, qui existant hodiè, Poëtarum inter-  
pretatus est, meminerint, sibi moriendum esse. VALETE.


P. P.

Stetini, die S. THOMÆ Apostoli

ANNO clc lxx.












gentis, beatè obiit; qvo casu affecti sunt  
qvò gratiora lectissimæ illis filia obsequia  
tera verò virtuti ac industria beati Viri  
mia honores fuere non poenitendi, vel  
xxv. Senator Reip. qvam toties diximus,  
qvò accessit anno post Ædilitas seu digni  
deniqve xxxi. Consulatus. Quando aut  
tissimum Reip. temporibus cerni solet vir  
in qvæ beatus tempora inciderit, nemo  
hospes, qui nesciat. Cùm enim diuturn  
des hæ ad Viadrum oræ essent, oppidum  
loco situm, irruentibus hostium copiis a  
redactum, hujus est sollicitudine curaqve  
plum inprimis ac Ministrorum Ecclesiæ  
desolatos civitatis pagos sua ille industria  
curavit. Sic fidelibus ac providis hujus viri  
& ager colonis habitari cœpit denuò, & el  
vi onere æris alieni, qvò illis temporibus  
enim cæteras muneris publici partes, literæ  
testantur, eum Secretarii qvoq; officio funct  
vel caperet præmii, vel etiam cuperet. Atq  
bus, benefaciendo, inquam, & benè de plurim  
tate potiozem felicitatis partem, qvàm in  
consistere, nisi certò statuisset, minus æq  
qvæ toties adversa inciderunt. Cùm suo  
dicisset æstimare pretio, & in his, qvæ v  
unica audet bona dicere, divitias, sanitatem  
æqvam ille mentem, & cùm suppeterent, &  
perentur aliquo casu, servare potuit facilit  
tias angusti animi atqve parvi, easdem ver  
contemnere, sin habeas, ad beneficentiam  
convertere, excelsi atqve magni semper ani  
bus habitum. Hunc igitur ostendit ille, q



gravius,  
Inter cæ  
uta præ  
no seculi  
tus est:  
ii; anno  
mis po  
civium,  
ris adeo  
belli se  
d ripam  
cineres  
. Tem  
niam &  
deribus  
poribus  
ex gra  
Præter  
publicæ  
il inde  
in re  
volun  
bonis  
nimo,  
ve di  
non  
beros;  
m eri  
divi  
beas,  
mqve  
ienti  
con  
filio,